

constituit: id quod ex indignorum manducatione est manifestum, qui perceptâ quidem ipsâ Sacramenti huius substantiâ, usu tamen eius & fructu destituuntur.

32. Quod si verò particulariter Signi vox, pro unâ tantum & externâ Sacramenti parte accipitur: tum signatum non erit aliquid extra Sacramenti substantiam positum: sed ipsa Sacramenti pars  $\sigma\upsilon\varsigma\alpha\lambda\upsilon\chi\eta$  & substantialis: ut in S. Cœna, externi elementi panis tanquam signi, signatum erit Corpus Domini: Vini signatum erit eiusdem Sanguis.

33. Oritur ex diversis hisce signi & signati respectibus, diversa etiam prædicationum ratio: Quando enim respectu prioris considerationis, signum pro toto sacramento sumitur; ita ut signatum sit aliquid extra Sacramenti substantiam positum: nomen verò signati tribuitur ipsi signo: ut cum pro baptismo dicitur Regeneratio: pro Cœna Domini, spiritualis coalitio cum Christo & sic fructus sive usus Sacramenti ponitur pro ipsâ substantiâ Sacramenti: tum figuratè ac metonymicè hoc fieri, nemo facile ibit inficias.

34. Quando verò respectu posterioris considerationis, non unum pro altero ponitur: sed unum de altero prædicatur; hoc est, de signo signatum, de una parte  $\sigma\upsilon\varsigma\alpha\lambda\upsilon\chi\eta$ , pars prædicatur altera, & sic non simplex λέξις, sed prædicatio est: ut  
cum